

## §. 29.

Posito rationato, ponitur eius ratio aliqua, § 20, 14. et sufficiens, §. 22. seu *a rationato ad rationem, et sufficientem, V. C.*

## §. 30.

Posita ratione, hinc et sufficiente, §. 21. ponitur rationatum, §. 23. seu *a ratione, et sufficiente, ad rationatum V. C.*

## §. 31.

*Sublata ratione, et sufficiente, tollitur aliquid rationatum, quia posito hoc, poneretur et illa, §. 29.*

## §. 32.

*Sublato rationato tollitur ratio eius, et sufficiens, quia hac posita poneretur et illud, §. 30.*

## §. 33.

*A et B connexa tertio C sunt connexa inter se, A est connexum cum C connexo cum B, est ergo in A, de quo cognosci potest ex B, cur sit, hinc A et B sunt connexa, §. 19.*

## SECTIO III.

## E N S.

## §. 34.

Quod aut ponitur esse A, aut ponitur non esse A, DETERMINATUR. \* Quod vero